

la, qua de causa *abscondita* a virorum aspectu et concursu servatur: *Alma* enim (עלסה) a radice Alm (עלס) *abscondit*, desumitur: è contra, virgo, quae Bethula dicitur, potest adultae etiam esse aetatis.

Inst. Vocatur quoque *Alma* puella a viro cognita: ergo solam indicat adolescentulam. *Ant.* prob. In Proverbiis (1) dicitur: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari; et viam viri in adolescentia*, seu *adolescentula*, et, in hebraico, *Alma*. Atqui non diceretur via viri cognitu difficilis, nisi de puella corrupta sermo esset: ergo vox *Alma* non significat semper puellam virginem.

Resp. nego *ant.* Ad probationem etiam, nego *minorem*. Sententiae autem, sed parabolae illius triplex occurrit explicatio.

1.º *Alma* et *virgo* vocari debet quaevis puella, sicque revera communi sensu appellatur, dum ejusdem corruptionis non fuerunt indicia. Jam vero, de ea adolescentula agit proverbium, in qua viri via prorsus est incognita; ergo nomine verae *virginis*, scilicet *Alma*, jure vocatur.

2.º Duplici modo dici potest cognitu difficilis via viri in adolescentula: primo *positive*, scilicet. ut discernatur factum, quod vere extiterit. Hoc autem cognosci certo posse, ait Alapide (2), quidam medici affirmant, alii autem negant: et quidem jure isti negant, cum fere communi medicorum sententia nisi conceptio secuta fuerit: nam signa sunt ambigua, ac possunt, uti sapientes testantur medici, ex pluribus causis procedere. Verum cum id non plus incertum ac difficile existat in adolescentula quam in adultis mulieribus: non videtur in hoc sensu prolatum fuisse proverbium, ut de adolescentula corrupta intelligatur. Secundo potest intelligi difficilis ea cognitio *negative*; ad discernendum, nempe, non pertransisse virum, seu, integram vere, ac virginem esse adolescentulam: Hoc, quidem, ajunt medici, nonnunquam cognosci posse, saepissime vero non posse, etiamsi verae virgines existant. Proinde, optime intelligitur, sermonem esse in Proverbio de adolescentibus virginibus, si in hoc secundo sensu fuerit prolatum.

Verum eadem illa redit difficultas; quare id dictum fuerit de Virgine adolescenti, et non de adultis quoque, cum par sit in omnibus difficultas? Ideo.

3.º Placet alia sat obvia ac congrua explicatio, quam ex Jansen. refert Cornelius Alapide. Proverbium illud Salomonis non de difficultate physica, et, ut ita dicam, chirurgica, ad

(1) C. XXX, 18, 19. Fol. 22. — (2) In Proverb. ibid.

discernendum inter adolescentulam virginem et corruptam intelligere oportet; sed potius de difficultate morali ac vulgari, qua homines hac in re premi solent. Nam cum omnes, universim, ingenuas virgines sibi sponsare in votis habeant; tamen, facile errorem patiuntur propter nimium earum vitia sua celandi studium et cautelam: hac de causa dicit Proverbium; penitus ignoro, quo pacto possit his error praecaveri; scilicet, certo scire, ad virginem, quam seligam, nullum accessisse virum. Juxta hunc ergo sensum, *Alma*, ut patet, pro virgine dicitur.

Nonnulli 4.º tradunt interpretationem, dicentes: agere proverbium, non de via viri, seu abusu adolescentulae; sed de via, seu aditu ad alloquendum cum virgine. Cum enim, ajunt, virgines in regionibus Orientis summa absconderentur cautela, inde viri absconditas quoque ac difficiles cognitu sibi parabant vias ad eas invisendas. Verum jejuna admodum, et parum litteralis haec videtur interpretatio.

175. Obj. 4.º Christus è Juda et familia David ortum ducere debebat. Atqui si ex Maria Virgine natus esset, non fuisset Christus Judae et Davidis filius: ergo. *Min.* prob. Maria ejusdem erat tribus, cujus et ejus cognata Elisabeth: haec autem *ex filiabus erat Aaron* (1); ergo. *Ant.* prob. In Lege (2) praescriptum erat: *Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient*: si ergo erant cognatae, ejusdem quoque erant tribus V. Maria et Elisabeth.

Resp. Explico legis illius textum. Cum uxores haeredes constituebantur, de sua tribu maritos accipere debebant, et vicissim mariti easdem in uxores; conc. alias; nego. Hinc optime fieri potuit, ait Augustinus (3), «Ut pater Elisabeth uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus B. V. Maria, de stirpe David, esset Elisabeth cognata: vel potius, è converso, quod pater B. Mariae de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron.» Explicatio autem legis illius ex ipso contextu desumitur.

Obj. 5. Evangelistae ex Josepho tantum Christi genealogiam descripserunt. Sed hoc indicat verum fuisse Joseph Christi patrem, vel saltem incertum videtur, utrum fuerit Christus è familia David: ergo naturali modo, non ex virgine, natus est Christus.

Resp. 1.º Permitto *antec.* et nego *minorem*. Etenim, etiamsi Josephi tantum texissent Evangelistae genealogiam, cum aperte ipsi dicant (4), nec non Paulus (5) et Petrus (6), quod Christus fuerit filius David; non ideo incertum id foret. Proinde dicen-

(1) Luc. I, 5. — (2) Num. XXXVI, 7, 8. — (3) Contra Faustum, l. 23, c. 9. — (4) Luc. I, 69. — (5) Hebr. VII, 14; Rom. I, 3; Galat. IV, 4. — (6) Act. II, 30.

dum potius, aperte indicasse Evangelistas, ea facta hypothese, non fuisse dissimilem genealogiam B. Virginis, et B. Joseph.



Resp. 2.^o Nego *ant.* cum Alapide et Suarezio, et aliis AA. qui multis gravibusque testimoniis probant, sanctum Lucam genealogiam B. V. Mariae descripsisse; quae per patrem Joachim, seu Heli, a Davide per Nathanem, Salomonis fratrem, descendebat; et per Annam Matrem, etiam a Salomone.

SCHOLION.

De Christi Genealogia.

176. Ut autem praedicta clarius elucescant, tria subjicimus sequentia stemmata: 1.^m *Directum* per Mariam Virginem, prout tradi videtur a S. Luca. 2.^m Cognatorum Christi et B. Mariae, juxta eandem sententiam. 3.^m *Indirectum*, juxta Julii Africani mentem, qui censet; tum Matthaeum, tum Lucam, texisse tantum Genealogiam *indirectam* Christi, nempe, per S. Josephum; sed Matthaeus per Salomonem, et Lucas per Nathanem, Davidis filios. Ex 1.^o Stemmate elucet, quod per Annam ex Salomone, per Joachim autem è Nathane, *directe* descendebat Christus. Si autem perpendamus, Josephum per Mariam, et in Maria, conjugem suam, virtute Spiritus S. Jesum in legitimum ac supernaturalem filium suscepisse, intelligemus; jura Salomonis, ex quo ortus Joseph, etiam ad Christum haereditatis jure pervenire potuisse.

Verum quidem est, primos Patres systema Julii Africani fuisse secutos ad Christi genealogias conciliandas. Verum, neque illud certum reputabant, neque in ejus explicatione erant consentientes, quia nulla certa innitebatur traditione, ut manifeste fatetur ipse Africanus (epist. *ad Aristid.*): «Sive res ita se habeat, sive » alio modo, ita existimandum est, quamvis certum desit testimonium, ob id quod clarior ac verior expositio proferri non potest.» Ideo Alapide, cum Doctoribus Scholasticis insignioribus fere omnibus, censet; Lucam genealogiam B. Mariae *directam* texisse. Illa enim verba (Luc. III): *Ipse Jesus, ut putabatur, Filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matath...* ita censet intelligenda, ut illud; *qui fuit*, ad Jesum referatur, non autem ad Joseph. Et quidem, non aliter esse interpretanda omnino defendit Auctor III seculi, sub nomine Augustini (Q. *Vet. et Nov. T. q. 56*).

1.^m Stemma Directum Jesu Christi.2.^m Stemma (1.^{mo} consonum) Cognatorum Jesu Christi.

THESIS XLVI.

Etiam post partum B. Maria constanter Virgo permansit.

177. Nota: Constantem B. Mariae virginitatem tuemur adversus aliquos tum antiquos, tum recentes haereticos, qui, ex Evangelio prave interpretato, illam negavere.

Propositio est probabilius de fide, et saltem doctrina catholica certa.

Prob. 1.° Paulus IV in Constit. *Cum quorundam*, advers. Socinianos, arguit aliquos qui a catholica fide aberrant et desciscunt, et profitentur diversas haereses, et ipsius fidei fundamenta negare praesumunt: inter hujusmodi autem haereses, hanc notat; «Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec persistisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in »partu et perpetuo post partum.» Ejusmodi errorem vocat *errorem in fide*, ac jubet eos, qui id asserunt, «Pro subversis et lapsis in »haeresim haberi... et puniri, perinde ac si vere et realiter in haeresim relapsi essent.» Unde quicumque ibi enumerantur errores, saltem ut *errores circa fidem* habendi.

2.° Ex communi consensu et constanti SS. PP. Etenim Mariam constanter Virginem appellant, quasi proprio ipsius nomine et antonomastice. Sed non id fecissent nisi credidissent perpetuo Virginitatem coluisse; aliter enim, quae mulier non posset eo nomine insigniri? Praeterea: Augustinus, in libro *haeresum* (Haeresi 36) inter haereticos recenset negantes hanc Mariae perpetuam Virginitatem. Pariter Epiphanius (in haeresi 18). S. Hieronymus in l. *contra Helvidium*; S. Ambrosius, ait (1): «Fuerunt qui Mariam negarunt virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jam dudum maluimus; sed quia causa vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum.» Vide Sophronium in Thes. XLV.


3.° Hujusce perpetuae integritatis B. Mariae assignat D. Thomas (2) praeclaras rationes, quas attente perpendas.

178. Obj. 1.° Matth. (I, 25) dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ergo 1.° Supponitur sponsam suam postea cognovisse. 2.° Si habuit B. M. primogenitum, ergo et secundo genitos.

Resp. Nego utramque *consequentiam*: primam quidem, quia par-

(1) De *Instit. Virg.* c. 5. - (2) P. 3, q. 28, a. 3.

3. Christi stemma ad Julii Africani systema exactum.



NOTARUM SIGNIFICATIO.

- | | |
|------------------------------------|------------------------------------|
| an..... <i>ανα</i> , sine liberis. | S..... Salamonides genere et lege. |
| f..... filius. | s..... soror. |
| ff..... filii. | u..... uxor. |
| fr..... frater. | v..... vidua. |
| N..... Nathanites ex lege. | |

ticula *donec* non habet per se significationem definitivam et exclusivam. Sic corvus ille a Noe emissus *Non revertebatur, donec siccarentur aquae*; (1). Et Paulus (2) de Christo: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus*. Cfr. supra, n. 69.

Secundam autem negamus; quia *primogenitus*, ex significatione legali, eum significabat ante quem genitus alius non erat: non vero eum post quem alii gignerentur. Ut enim parentes servarent legem et primogenitum suum Deo traderent, non erant alii filii post primum gignendi et expectandi: nam propere primogeniti erant Deo offerendi.

Obj. 2.^o Christus fratres ac sorores habuit: ergo non permansit B. Maria in virginitate.

Resp. Dist. *Ant.* Fratres, id est, propinquos, uti Abraham dixit ad Loth; *fratres sumus*: conc. Fratres ex eadem matre: nego.

ARTICULUS IV.

De Christo ut termino efficientiae finalis, seu de Incarnationis fine.

THESIS XLVII.

Incarnatio Filii Dei, praeter supremum finem gloriae Dei, plures respexit fines.

179. *Nota.* Quae in hoc capite elucidanda suscipimus, ex praecipuis quae ad tractatum de Incarnatione spectant censeri debent: tum quia finis prima est cujuslibet rei causa; tum quia Christi gloria et excellentia ex fine praecipue effulget, ob quem fuit a Deo conditus et missus.

Prob. 1.^o Christus D. ait: (Joan. XVII). *Pater, venit hora: clarifica Filium tuum ut Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam; et nunc clarifica me tu, Pater. claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te.* Ex his dicimus.

Clarificare Deum, dare hominibus vitam aeternam, cognoscere verum Deum et Jesum Christum, plures sunt fines. Sed ad haec missus fuit Christus, seu incarnatus fuit Filius Dei. Ergo.

(1) Gen. VIII, 7.—(2) I Cor. XV, 25.

Confirm. ex Apostol. (1): *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt*. Item (2), *Misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus*. Item (3), Nicodemus: *Scimus quoniam venisti a Deo magister*: et Christus; *Sum etenim magister*. Jam vero; plures, diversi que sunt fines, inhabitare divinitatem in Christo, pacificare ea quae in terris sunt, et ea quae in coelis, adoptare homines in filios Dei, eosdem edocere: ergo. Vide quoque Paulum alios fines enumerantem, praeter redemptionem a peccato (4).

2.^o Isaias (5) dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit...* Unde ipse Christus de se testatur, plures ob causas se fuisse unctum et missum; ad praedicandum, nempe, consolandum, redimendum, sanandum, ad diem retributionis enuntiandum... Confer praeterea testimonium aliud simile ac perspicuum ejusdem Prophetae (6). Ergo Incarnatio Filii Dei ad plures fuit destinata fines.

180. 3.^o Trident. Synod. (7). Docet; ideo missum Filium Dei ut Judaeos redimeret, gentes apprehenderent justitiam, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Atqui hi fines sunt intrinsece et formaliter diversi. Ergo.

Augustinus, (8) ait: Filium Dei factum filium hominis ad persuadendum homines, quod per gratiam fieri possint filii Dei; (et in cap. XIV) ut posset per justitiam vincere diabolum, et solve- re pro nobis quod ipse non debebat. «Nisi enim homo esset, non »posset occidi:» (in cap. XVII) ut elucescat nobilitas hominis, nec jam maligni spiritus se audeant homini praeponere: item ut gratia Dei commendaretur, quia Christus nullis praecedentibus meritis factus est Filius Dei: ut superbia hominis posset redargui atque sanari: ut praeberet obedientiae exemplum. Et (cap. XVIII) concludit: «Haec tanta Dei dona, et si qua alia sunt, quae de hac re nobis »et quaerere et disserere longum est, nisi Verbum caro fieret, nulla essent.» Item (9), ait: «Verbum caro factum est, ut infantiae »nostrae lactesceret Sapiencia tua, per quam creasti omnia.» Et iterum (10): «Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus; et ideo cognosceret ut in ejus dilectionem, a quo prius dilectus est, exardesceret.»

Athanasius, *Comment. in Lucam*, ait (Galland. t. V. p. 188.): «Deus cum sit, non sui causa natura homo efficitur... sed

(1) Colos. I, 19, 20.—(2) Galat. IV, 4, 5.—(3) Jo. III, 2; XIII, 13.—(4) I Cor. I, 30.—(5) LXXI, 1.—(6) XLII, 1-7.—(7) Sess. 6, c. 27.—(8) De Trinit. l. 13, c. IX.—(9) Confess. l. 7, c. 18.—(10) De Catechiz. rudibus, c. 4.

»nostri gratia, ut qui homines simus, adoptione per gratiam dii
»efficiamur, et circumcidamur spiritualiter, sordes peccati abluamus...»

Et alibi (1) ipse Athanasius ait: «Deus, qui bonus est, et
»Pater Domini, misericordia motus, volensque notus omnibus fieri,
»fecit ut suus Filius corpus humanum indueret, homoque fieret,
»et vocaretur Jesus; ut in eo corpore pro omnibus se offerens,
»omnes idololatria et corruptione liberaret, ac omnium Dominus et
»rex fieret... Nec eum solummodo fecit hominem, sed ut in omnibus
»dominaretur, eosque unctione sanctos redderet.»

3.º D. Thomas (2): «Patriarchae, Prophetæ... et omnes
»Angeli (acceperunt gratiam per Christum): quia plenitudo gratiæ
»quæ data est Christo, est causa omnium gratiarum quæ fuerunt
»in intellectualibus creaturis.» Ita et Gregor. M. (3). Ergo etiam
»propter Angelos sanctificandos facta est Incarnatio.

181. Obj. 1.º Irenæus, ait (4). «Si non haberet caro salvari,
»nequaquam Verbum Dei caro factum esset.» Ergo salvatio hominis
»a peccato unica causa finalis Incarnationis esse videtur.

Resp. Dist. *Ant.* Quatenus ex divina oeconomia is finis salvandæ
»carnem habet aliquam connexionem cum aliis causis finalibus;
»conc. Quasi is fuerit unicus finis; nego. Hanc fuisse Irenæi
»mentem, patet ex aliis quæ subjungit: «Et si non haberet sanguis
»justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.»

Hanc divinæ sapientiæ oeconomiam, et cum salvatione hominum
»Incarnationis nexum explicat Cyrillus in *Thesauris* (5):
»Facta est Sapientia (Verbum) fundamentum. *ut Homo*, in omnibus,
»peccato solo excepto... Architectus, verbi gratia, sapiens, aedes
»aedificaturus regias, dubitat verisimiliter, ne quid procedente
»tempore altior aedium structura patiatur, ac ideo fundamentum
»jacit firmissimum, et radices operum robustissimas construit, ut
»si quid superiora patiantur, possint rursus reparari fundamento
»servato. Eodem modo creator noster Christum nostræ salutis
»fundamentum, etiam ante initium mundi, fundavit, ut si praevaricatione
»caderemus, in ipso rursus renovaremur.» Ex quibus patet,
»reparationem hominum a peccato, non fuisse primariam ac directam
»Incarnationis causam.

Obj. 2.º S. Athanasius ait (Or. 2 *contra Arian.* n. 56):
»Ipsam Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset
»hominum necessitas.» Quæ autem fuerit hæc necessitas, ibidem
»dicit: «Ut eo in carne habitante, peccatum ex carne penitus exter-

(1) *Contra Arian.* Or. II, n. 14. — (2) In Jo. I, 10. — (3) In I, Reg. c. 3; L. I, n. 7. — (4) L. V, c. 14. — (5) L. V, c. 8. — (6) Orat. 2, *contra Arian.* n. 56.

»minaretur, et nos liberum sensum haberemus.» Ergo non alius
»extitit Incarnationis finis nisi redemptio hominum a peccato.

Resp. Negando *consequentiam*. Ipse Athanasius, (ibid. n. 55) plures distinguit Incarnationis fines: «Ut testimonium perhiberet
»veritati, ut mortem destrueret, peccatum condemnaret, caeci
»viderent, omnesque è mortuis excitarentur.» Et in n. 59. «Hæc
»est Dei benignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater,
»gratia, postea fiat... Hi porro sunt qui suscepto Verbo, potestatem
»ab eo acceperunt filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt
»fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum ejus qui
»naturalis et verus est Filius acceperint. Quod ut fieret, Verbum
»caro factum est, ut hominem ad divinitatem recipiendam idoneum
»redderet.»

Igitur non ob solam causam peccati facta est Incarnatio, sed etiam
»propter alias; imo neque propter hominem solum, sed propter omnes
»creaturas censet Athanasius, n. 64.

THESIS XLVIII.

Incarnatio Verbi non habuit solum rationem
»medii, sed etiam finis; seu voluit Deus Incarnationis
»mysterium propter ipsum Christum.

182. *Nota:* Finis et medium in eo differunt; quod ille absolute et
»in se habet rationem boni et propterea diligitur; medium autem,
»ut tale, licet habeat vere bonitatem, tamen hæc respectiva est, et
»ideo non nisi propter finem quem respicit appetitur.

Prob. 1.º ex Paulo (1): *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis
»corporaliter:* De qua plenitudine, ait (2): *In ipso complacuit
»omnem plenitudinem inhabitare.* Ex quibus sic arguitur: complacere
»in bonitate intrinseca et absoluta Christi, est diligere illum tamquam
»finem, velle illum propter se ipsum: sed inhabitatio plenitudinis
»Divinitatis est bonitas intrinseca et absoluta Christi, et complacuit
»Deus in illa. Ergo eam uti finem dilexit.

Item: dixit Pater (3): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi
»complacuit.* Ex quo idem fluit argumentum. Vide et c. XII, v. 18.

2.º Tridentinum (4) ait: causam finalem justificationis esse
»gloriam Christi. Ergo si Incarnatio est propter justificationem, potius
»est propter ipsum Christum.

183. 3.º Si Deus voluisset Incarnationem tamquam medium tantum,
»plus alia bona creata dilexisset quam ipsam Verbi Incarna-

(1) Colos. II, 9. — (2) Ibid. I, 19. — (3) Matth. III, 17. — (4) Sess. 6, c. 7.

tionem; sed stulte hoc diceretur; Ergo. *Major* patet ex *Nota* praemissa.

Min. prob. Illud magis diligi a Deo dicendum, quod magis est ejus bonitati conveniens. Atqui «ad rationem summi boni pertinet »quod summo modo se creaturae communicet, quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi conjungit ut una »persona fiat ex tribus, Verbo, anima et carne, sicut dicit Augustinus (1): unde manifestum est quod conveniens fuit Deum incarnari.» Ita D. Thomas in *Summa* (2). Ergo stulte diceretur alia creata bona Deum plus diligere.

4.º Finis, quem Deus intendit generaliter, est communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas. Atqui communicavit Christo Deus suam perfectionem plusquam cuilibet creaturae; ergo plus Christum dilexit tamquam finem, quam aliud quippiam creatum. *Maj.* constat ex S. Thoma (3). *Min.* autem ex se patet; et confirmat Augustinus (4); «In rebus per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in unitate personae conjunctus est Deo.»

184. 5.º Adversus Arianos S. Cyrillus (5) sequens adhibebat argumentum, quod pro thesi nostra plurimum quoque valere perspicuum est. «Si propter haec factus est Filius Dei (ut Ariani dicunt), ut ad sapientiam redigat stulta, ut imbecilla confortet, ut »indigentia justitiae justificet: nos ergo causa sumus ut ipse factus »sit: quare nec factus esset, nisi Deus creaturas voluisset producere, »et organum, hoc est, instrumentum, creationis nostrae fuit. Si factus est propter nos, num igitur... Filius nominabitur propter »adoptatos per ipsum filios, ut nihil proprie sit propter ipsum, sed »omnia propter nos? Nam etsi creationis nostrae ipse auctor esse »videatur, sed nos sumus causa, secundum vos, ut ipse produceretur: sicut et coelum propter generationem generabilium factum »est, et sol ut tenebrosa illustret, et terra ut animalia sustentet: et »ita nihil magni erit in Filio, quod in creaturis non sit. Minister »quoque ille, sicut creatura, erit, imo majoris dignitatis ceterae »creaturae videbuntur, quarum causa ille productus est. Vides quod »impie dicta ex opinione falsa haeticorum sequuntur.» Cui claro argumento Cyrilli consonat evidens D. Th. (6) sententia: «Finis est nobilior his quae sunt ad finem.»

Ad rem hanc etiam spectat Athanasii argumentatio adversus Arianos (7): «Unde sequitur, ut ipse Filius nostri potius causa factus fuerit, quam nos propter ipsum... Ita ut ille nobis potius ha-

(1) *De Trinit.* l. 13, c. 17.—(2) *P.* 3, q. 1, a. 1.—(3) *P.* 1, q. 44, a. 4.—(4) *De Trinit.* l. 13, c. 19.—(5) *Thesauri*, l. VI, c. 1.—(6) *P.* 1, q. 44, a. 4, ad 2.º—(7) *Or.* 2, n. 30.

»beat gratiam, quam nos illi, ut mulier viro... Deinde, nos quidem »facti sumus ut existeremus, at Dei Verbum (dic Christum) non ut »existeret (seu propter se), sed nostri gratia, instar instrumenti, »factum est; proindeque, non nos propter illud, sed ipsum propter »nos existit. An non vere, qui haec vel tantum cogitant, omnium »dementissimi sunt habendi? Nam si propter nos factum est Verbum; nobis certe prius non est apud Deum... Ac nos quidem creare volens, et de nobis deliberans, res creatas vocat; illum vero, »quem nostri causa creat, Filium atque Haeredem nominat. Atqui »nos potius, quorum gratia illum facit, filios oportuit appellari: vel »certe illum, qui Filius est, prius debuit cogitare et velle, propter »quem scilicet etiam nos omnes facit. Haec sunt quae evomunt et »effutientes nauseant haeretici.»

185. Obj. 1.º Dixit Dominus (1), *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ergo, saltem quoad homines, non venit Christus nisi peccati causa.

—Resp. Concesso *antecedenti*, negatur *consequentia*. Etenim Christi verborum sensum nobis explicite tradidit S. Lucas (2): de vocatione *ad poenitentiam* agebat Christus; perspicuum autem est solos posse vocari ad poenitentiam peccatores; ad sanctitatem vero altioreque justitiam alios etiam posse vocari.

—Obj. 2.º D. Thomas ait: In sacra Scriptura, ubique, Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur.» (3) Ergo videtur quod solum ad remedium peccati, non propter se ipsam, Incarnationem voluerit Deus.

Resp. Haec dicit D. Thomas de ratione Incarnationis finali et intrinseca: nego. Extrinseca et occasionali; concedo. Nam non solum S. Scriptura, sed et D. Thomas cum SS. Patribus, alias rationes finales Incarnationis nos docent.

Scholion. Utrum, cessante causa illa peccati primi hominis, facta fuisset Verbi Incarnatio, inter Auctores disputatur, gravibus pro utraque sententia urgentibus rationibus. Quae autem sit amplectenda opportunius alibi judicari poterit.

(1) Matth. IX, 13.—(2) V, 32.—(3) *Summ.* p. 3, q. 1, a. 3.